

Et quòd ipsa humiditas existit super omnes humiditates, expectans ignis calorem, vsq; ad sui sufficiētis inspissationis terminū completum, quo ad indigentiam completionis ipsius cum permanentia inseparabili terræ sibi annexæ sine euaporatione. Tertio, quòd huius humiditatis dispositio naturalis sit talis, quòd per beneficium suæ oleaginitatis in omnib. suarum proprietatum differentijs terram sibi annexam, conuersione vtriusq; in alterum homogenicè, sic contemperet vnctuosè, & vnione totali, & vinculo conjunctionis inseparabilitatis æqualiter, vt post finalis præparationis gradum fusio- nem bonam præstet, secundum essentiam & proprietatem metalli, in quod conuerti nitur: vel ad ipsam suscipiendam se inclinet. Quarto, quòd hæc oleaginitas viscosa sit tantæ puritatis essentiæ, & ab omni re combustibili, seu vrēte artificialiter emūdata, quòd omnia cum quibus per minima coniungitur, non comburat, sed à combustione præseruet. Quinto, quòd claram & splendidam habeat tincturam in se, albam vel rubeam, mundam, permanentē & incombustibilem, stabilē & fixam, quòd ignis nequaquā valeat ipsam permutare, neque sulphurea adustiuæ, seu acuta corrodentia ipsa corpora corrumpere & defœdare. Sexto, quòd totum compositū inceratum cum suo complemento finali,